



# T O B I A S

## M O R A L I D O C T R I N A

### I L L V S T R A T V S .

#### P A R S P R I M A .

#### C A P V T P R I M V M .

*Tobias primarij generis, vir honoratus.*

**T**OBIAM virum Hebraum exactissimæ virtutis, omnibus noscendam, imò & imitandum proponere animus est. Profanda tamen paucula de libro, qui Tobias inscribitur.

S. I.

**T**OBIÆ liber moribus formandis vtilissimus est. Nonnemo ex iis, qui librum obrectare solent, ingenuè dixit. Libellus est verè aureus. Ediscendus esset à pueris, haud secus quàm decalogus, & in imò peccatoris diligentissimè cendendus, in quo nihil nisi mera pietatis femina, imo flores & fructus inueniuntur. Non minùs honorificum de eodem hoc libro elogiù est istud: Inter historias primùm tener locum liber Tobia, qui mea quidem sententia felicitiùs Xenophonte ac Aristotele tradit œconomiam. Nam & exemplis viuus omnia, & salutaribus præceptis demonstrat. Nulla hominum ætas est, ordo nullus, aut sexus, qui non habeat ex hoc libro discere præceptiones optimas, nemo est, qui sui hic officij non moneatur.

Liber Tobia Canonicus est. *In ore duorum aut trium ressum stat omne verbum,* assertione Christi: tres nominasse suffecerit. Diuus Irenæus libro aduersus Valentinum cap. 34. in testimonio venit, & Diuus Cyprianus epistol. 52. argumentum ex eo libro sumpsit aduersus Nouatianos. Diuus August. l. 2. de doctrina Christiana c. 8. hunc ipsum in canone scripturæ Sanctæ collocavit, & ex eo ipsemet partem sermonis ducentesimi vicefimi secundi pro concione proposuit. *Sat testimonij.* Mihi vnus Aug. loco mille testium est. Ad hunc cum antiquissimi Irenæus & Cyprianus alique accedant rem omni modo testatissimam habemus. Taceo Concilia, quæ Tobia librum inter diuina monumenta, vt germanissimam eorum partem numerant. Ita dilucide Concilium Tridentinum. Ita totius Ecclesiæ consensus & decreta. Sed iam in libri auctorem indagemus.

Scriptus hic liber creditur ab vtroque Tobia tam parente quàm filio. Nam Angelus vtrique præcipiens: *vos autem, inquit, benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.* Hebræus & Græcus contextus aperitissime hunc in modum loquuntur; scribite omnia hæc, quæ contigerunt in libro. Nihilominus non vique ad id id certum est, cum initio hic liber Chaldaicè sit scriptus; quòd Hieronymus præfatione ad Chromatium, & Heliodorum testatur. Ab vtriusque Tobia obitu, tertius aliquis verus pauculos censetur adieçisse. De hoc tam gracili libello Paulus suum illud pronuntiauit: *Omnia quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturæ vna spem habeamus.* Sanctorum vita, lex viuæ, instructio

nostra. Chrysoctomus sanctorum hominum res gestas à Spiritu diuino eam ob causam dictatas, à nobis relictas asserens: *Vt disceremus, inquit, quòd licet eiusdem fuerint naturæ, virtutibus tamen studuerim, ne simus nos ignari & desides in iis exercendis.*

Meum hic votum est, quod Iobi fuit. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarremur in libro Bylo ferreo, & plumbi lamina, vel cæte scribantur in silice.* In fineto statuere cogitat tablinum, & ordiri scriptiõnem non vulgarem: nec enim tabulis ceratis, aut arborum corticibus, aut candidis linteis, sed nec chartæ, vel membranæ, sed marmoris, imò chalybi madare vult verba quæ scriptitare meditatur. Vtinam & ego hunc librum scriptiõnis neuitquam proluxæ omnium memoriæ imprimere, aut quod maelim pectoribus omnium, velut marmorea, aut chalybeæ lamina possim insculpere. De hoc Tobia libro, qui pagellas pauculas complectitur, verè ausim pronuntiare: Liber mole quidem modicus, sed Christianæ perfectionis est commentarius.

Scriptiõnis porro hic erit ordo, qui est historiæ. Ordiamur à Tobia genere & familia.

Tobias ex vrbe & tribu Nephthali oriundus primariis Natalibus. Pater illius Tobiel, Auus Ananiel, proauus Adiel, abauus Gabriël, tritauus Afaël, tritauus pater Nenathiel.

Iudæi supra quàm dici potest, in conscribendis genealogiis diligentissimi. Hinc ista talia tam exactè sciri potuerunt. Sed porro camus.

S. II.

**N**atus est Tobias an. quater millesimo quadringentesimo vicesimo. Denatus est sub Manasse Rege quater millesimo quingentesimo vicesimosecundo. Ita vixit centenis & duobus annis. Tobia patria fuit Galilæa superior, vrbs Nephthali, quæ à tribu sortita nomen. Ergo non ignobili familia ortus est, quod ex accuratissima prosapia, generisque descriptione cuius facild constet, in qua auus, proauus, abauus, titauus, & pater tritauus tam distinctè nominantur.

Deinde si Tobia munus aulicum spectemus: Salmanaçar Regis princeps œconomus fuit Tobias, ad quem omnia emenda pertinerent. Neque verò credibile huc officio hominem ignobilem profectum. Itaque Tobias primarij generis vir honoratus. Et hæc natalium ornamenta Deo in acceptis referenda. Ista enim Deus, quibus vult, concedit; negat innumeris. Habet generis dignitas, familia vetustas suos honores, quibus emineat. Nemo id negauerit. Paulina præceptio est: *Reddite ergo omnibus debita; cui honorem, honorem.*

Gregorius Nazianzenus triplicem statuit nobilitatem. Prima suam supernè trahit originem: Ad imaginem diuinam conditi sumus. Qua quidem ratione omnes peræquè sumus nobiles. Altera prisum sanguinem

*Chrysoctom. l. 1. in Gen.*

*Iob 19. 23. & 24. Alij cer- sculpan- tur in silice.*

*Ordo scri- ptionis.*

*Quo anno natus Tobias & mortuus. Patria.*

*Regis Salmanaçaris œconomus.*

*Rom. 13. 7. Triplex nobilitas. Prima. Secunda.*